



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Æqualitas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

significatum causæ diligentius examinanda sunt. Reliqua, utpote manifestiora, sponte nulla sollicitata cura provenient.

ANNUS MENSISQUE. CAP. II.

Causa vero cur annus Palma significaret, tres esse perhibentur, eaque omnium primâ: quod sola omnium arborum per ortus Lunæ singulos, ramos singulos progenerat. Atque ita etiam significatum mensis observaverunt, ut per singulos Palmæ surculos, menses totidem adnumerarent. Par itaque ut si annus exprimi debeat, Palma duodecim ramis prædita figuretur. Sedenim, etiam hæc non adfuerit curiositas, annum omnino significabit, vel quantum ad mensem attinet, quod in officulis ejus ea maxime figura expeteretur, quæ lunata esset, quam contra fascinationes pollere plurimum arbitrabantur. Lunam autem maxime cavam, qualis est cum o&o & viginti dierum numerum explevit, cornibus scilicet inferne dejectis, mensis indicium esse in cælestibus loco suo dictum. Dianæque ipsa apud Homerum Apollinis hymno, mensis & annis arbitros paritura, Palmam amplexata describitur. Altera causa est, quod Palma, uti Babylonii tradunt, referente Plutarcho, trecentas & sexaginta utilitates mortalibus elargitur, ideoque anni simulacrum & insigne: tot enim diebus annus constat, intercalaribus quinque, de quibus in Vulture, subductis. Alia ratio est, quod palmæ factus quatuor ex lignis, sive Ossa ea maluerimus appellare, quæ, uti paulo ante dictum, in ejus fructibus insunt, fieri solet, quæ bina juxta composita subter, binaque superne colligantur, pronaque omnia feruntur, quorum inde radices amplexu mutuo connectuntur, atque ita primi ortus promiscui coalescunt, & unus ex cunctis caudex conficitur.

Annus quoque solaris quatuor qualitatibus constat, quæ tamen ita mutuo connecti videntur, ut fallente de die in diem qualitatis ipsius mutatione, unus quasi caudex fieri videatur.

TEMPORIS DIUTURNITAS.

CAP. III.

Non dissimulabo quasi *πρόσπερον*, quod Quintius Græcus author asperum quendam locum, & admodum editum, superatque perdifficilem ponit, in cujus vertice Palma confurgat, cujus in cacumine insideat virtus: ex montis utique asperitate labores varios, ex Palma temporis, ut Hesiodi interpres ait, diuturnitatem innuens. Non enim putabat quempiam ad perfectam aliquam virtutem pervenire posse, nisi per labores, quos diu tolerasset. Temporis autem diuturnitas quo convenientius signo figuretur, quam per id, quod anni & mensis habetur hieroglyphicum adeo manifestum? Sententiam hanc ita sibi desumpsit Quintilianus: *Definit in adversa nisi qui pervenit ad summum: scandenti circa ima labor est.* Quod nos in adolescentia ita retulimus:

*Incipit oppositam pedibus qui reperere molem,
Eximio superat grande labore jugum.
Ut tenet ac rei placidissima culmina montis,
Languida felici membra quiete levat.
Passus amaritiam rigida iudicis acerbam,
Molliculi glutii dulcia mella savi.
Hoc sophia asperioris iter, Superantule, pergat,
Dummodo post fellis pocula necliar habes.*

*Exat in
Epigram-
matibus
Pitrii.*

ÆQUALITAS. CAP. IV.

Æqualitatem vero ea de causa significabat, quod cum initio Soli dicata fuerit ante Laurum, gravissimi auctores asserunt, & Phæbum, & victores hac, non alia quapiam arbore coronari solitos. Quæ cum æquale esset victorum omnium præmium, æqualitatis inde symbolum assecuta est. Sane Plutarchus & Pausanias auctores sunt, Palmæ pretium, qua multis in certaminibus victores æque coronarentur, à Theseo primum institutum, cum à Creta reversus in Delum applicuisset, & Apollini ludos edidisset. Sive ea de causa sit excogitatum, quod arbor ea foliis sit maxime æqualibus, ideoque victoribus conveniret, quod æqua eorum laus atque præmium esset.

JUSTI-